


d. 1250









DEI OPTIMI MAXIMI AVSPICHS  
AMPLISSIMI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM  
DE

17

RESPECTV AD VERMES  
IN MORBIS CHRONICIS ET  
ACVTIS HABENDO

---

MODERATORE  
VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. IOANNE IVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO  
DXTERRIMO ET CLARISSIMO

SPECTATISSIMO H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

D. XXVIII. APRILIS MDCCLVII.

SOLEMNI ERVDITORVM SVBIIICIT EXAMINI

AVCTOR ET DEFENSOR

IOANNES GOTTFRIEDVS AB EXTER

EREMENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



INSTITUTIONE  
DISECTATIONE IN ANATOMIA  
HESPERIUS AD VERMES  
IN MORBUS CHRONICIS ET  
GOTTFRIDUS PHTHISICIT  
MODERATOR R.  
VINO  
D. N. JOHANNES LACKNERO  
PRO GRADU DOCTORIS  
JOHANNES COLLEGIUS ALEXER





VIRO  
GENEROSO  
EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
GOTTLIEB LEBERECHT  
AB EXTER  
MEDICINAE DOCTORI  
POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS  
CONSILIARIO





PARENTI OPTIMO

OMNIQUE HONORIS AC PIETATIS CVLTV

AETERNVM VENERANDO

HOC QVIDQVID EST SPECIMINIS INAVGVRALIS

IN FILIALIS REVERENTIAE MONVMENTVM

PIA MANV

DEVOTO ANIMO

SACRVM ESSE CVPIIT

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

IOANNES GOTTFRIEDVS AB EXTER.





## PROOEMIUM.



**P**athologia verminosa quum priore  
saeculo, vermium reptilium more,  
in scholam medicam irreperet, immo  
avium potius volatu celeriter ean-  
dem occuparet: tum viri, in rebus  
physicis et medicis haud mediocriter  
docti, quorum antesignanus praecipuus fuit  
AVGVSTVS HAVPIMANNVS, morbos sa-  
ne omnes ex fordido hoc fonte deriuare allabora-  
bant. Quo tempore necesse erat, vt LOEWEN-  
HOECKII microscopia maiore numero perfice-  
ren-



rentur: quilibet enim in hac re curiosus sanguinem, urinam, sputum aliaque excreta corporis humani, oculis armatis, perlustrare atque in iis putredinem animatam obseruare cupiebat. Quamuis autem verminosa haec doctrina primo sui ortu magnum strepitum excitaret multorumque animum mirifice repletet: nostro tamen aeuo plurimum exoleuit et vniuersalis illius ratio ad pauciores tantum morbos restricta est. Immo praecedente iam saeculo eam multum derelictam ex historia medica animaduertimus; quare strenuus ille censor, PAVLLVS AMMANNVS in paraenesi ad discentes libr. II. part. II. cap. XIV. apophthegmate satis acuto illam perstringit, et iudicii verminosi indicium esse scribit, si quis omnes morbos a vermibus deriuare vellet. Praemittere haec eam ob causam debui, ne beneuolus lector putet, dissertationis meae argumentum, quod respectum ad vermes in morbis tam chronicis quam acutis habendum commendat, cramben verminosam diu reiectam de nouo apponere velle: certe sensu vniuersali, ac si in omnibus morbis vermes, ad quos respiciendum, praesentes essent, minime accipiendum, sed ad certos tantum casus, quorum cursus anomalus et de tramite ordinario deflectens eos reddit susp-



*specios, restringendum putamus; id quod in tractatione ipsa uberius explicabitur. Qui in campo therapeutico multum versantur Medici, testantur omnes, quod vermium cum aliis morbis complicationes non adeo rarae sint, quodque in statu isto composito salubres motus in periculosas saepius anomalias pervertantur, et gravissima Symptomata, quae adsuntum venenum comitantur, succedere soleant: videlicet cardialgia, vomitus, tormina intestinorum, lienteria, convulsiones, deliria, mirificae passim gesticulationes, syncope, aponia, omniumque sensuum depravatio. Itaque si tragicae tales a vermibus motuum interiectiones ad alium morbum, qui in simplice sui cursu ab illis anomaliis alienus est, aliquando accedunt: tum sane circumspectio practica requirit, vermes habere suspectos et morbum talem complicatum ita tractare, ut cuique id, quod ei convenit, sine alterius detrimento, discernente iudicio destinetur. Sed quis hic non videt, arduam esse huius complicationis tractationem? quare supplex Deum precor, ut elaborationem quamcunque meam felicitate sua secundet.*

CAP.



CAPVT I.  
DE  
VERMIBVS IN GENERE EORVMQVE  
ORTV ET CVRATIONE.

---



## §. I.

ermes sunt animalcula, quorum corporis muscoli ab vna parte basi cuidam ad fixi sunt.

Praetermittit quidem haec a perillustri LINNAEO in *systemate naturae* tradita definitio plures de vermibus characteres; sufficit tamen ad eum, quem intendimus, scopum: quia satis idonea est, vt vermes ab aliis animalibus distinguere queamus.

## §. II.

Amplissima omnino est vermium familia: res ipsa autem loquitur et titulus dissertationis meae testatur, quod hoc loco de illis tantum agere constitutum sit, quorum in morbis tam acutis, quam chronicis respectus haberi debeat. Atque tales sunt, qui in ventriculo et intestinis degunt, et cum aliis morbis, opinione frequentius, complicati, magnas turbas et motuum anomalias excitare solent.

Ex eo nulla difficultate intelligitur, quod exclusi sint a tractatione mea non solum vermes extra corpus humanum obuii, cuiuscumque conditionis fuerint; sed etiam illi rariores, qui in corpore nostro, extra primas regiones, visce-



viscerum putridas corruptiones aliquando comitantur. Horum enim praesentia vii occultissima est, ita respectus ad eos therapeuticus neque locum neque utilitatem habere potest. Eiusdem considerationis sunt *crinones*, *acori*, *tinea*, reliqui insolitae figurae, quos omnes praetermitto.

## §. III.

Sunt autem triplicis ordinarie generis, de quibus hic pauca dicere conveniet: videlicet dantur vermes *ascarides*, qui caecorum vermiculos aemulantur, et intestinum rectum molestissimo pruritu saepius adficiunt; *lumbrici*, qui lumbricorum terrestrium similitudinem referunt, et nonnumquam *conglomerati* deprehenduntur, ventriculi et tenuium intestinorum ordinarii incolae, licet sine iure civitatis; *cucurbitini*, seminis cucurbitae formam aemulantes, et intestinis praecipue crassis inhaerentes, nonnumquam adeo concatenati, ut ad plures vlnas sese extendant. Sed cuiuscunque speciei copia vermiculorum adsit, illa *colluvies verminosa* audit.

## §. IIII.

Haec *colluvies verminosa*, in corpore humano obveniens, vera causa materialis morbosa evadit, formatem autem morbi prius non absolvit, quam motus accesserit consuetae indolis et mutationis. Ast uti omnis causa materialis suam in alio extra se posito ente agnoscit rationem; ita de vermibus idem est censendum. Causa autem omnium animalium prima in ordine rerum existentium in eorum generatione ponitur; quare vermium causam explicaturus merito ad eorum generationem paucis accedo. Duplex inter doctos de illa

B

ven-



ventilatur sententia: alii nullam absque feminis concursu generationem contingere statuunt, quam *uniuocam* vocant; alii vero ex sola putrefactione animalia generari putant, et hanc generationem *aequiuocam* dicunt. Sicut autem nemo hodie physicorum vltimam sententiam facile ruetur, ita illis tantum temporibus erit tribuenda, quibus minor doctrinae physicae lux, ob defectum subfidiorum, ad inquirenda naturae mysteria necessarium, adfulsit.

Offenderem lectorem, si vulgatam hanc litem longius ducere vellem; ne vero soli auctoritati aliorum subscripsisse videar, tria argumenta, quorum grauitate conuictus, *uniuocae* generationi symbolam meam dare nullus dubito, breuiter subiungam. Primum quidem ab vniuersali et ordinaria via naturae nunquam recedendum, nisi quaedam necessitas urgeat: omnibus vero cognitum est, ex semine omnia animalia et vegetabilia generari; neminemque fugit, ea, quae generi competunt, etiam speciebus, sub genere comprehensis, denegari non posse: quis autem hic videt necessitatem, ob quam communem animalium generandi modum vermibus concedere haud velimus? Deinde nullum datur euidens experimentum, quod ex sola putrefactione vermes nati sint. Quae vero proferuntur experimenta, illa omnia fallacis nituntur causarum. Neque fieri potest, vt talia excogitentur experimenta, in quibus corpora putredini obnoxia sibi essent relicta; semper enim aer, fons ille seminum locupletissimus, praesto est; et quamquam etiam aeris externi introitum prohibeamus, tamen aerem, corpora proxime ambientem, excludere vix valemus. Fac experimentum sub *campana*, aere exploso, cum corpore, quod alias putredinem suscipit, et putrefactionem debiliorem cognosces, vermes autem plane non generari obseruabis. Denique

ex



## DE RESPECTV AD VERMES IN MORBIS CET. II

ex contraria parte constans experientia docet, magnam vermium copiam sine omni putredine ex solis seminibus generari. Conf. ROLFINCIVS in *epitome*, ANDRY in *Libr. de generatione vermium*. IONSTON *Libr. 3. de insectis cap. I.* ANTON. VALLISNERI *Prof. Paduan. Consideration. intern. alla. generatione de vermi et* WALCHII *lexic. philosoph. p. 230. seq. vbi varia scripta hac de re agentia indicantur.*

### §. V.

Posita *vinuoca* generatione quaeritur omnino, quomodo semen verminale humana ingrediatur corpora? Ad quam quaestionem respondent auctores, variis id fieri modis, primum *inspirando* aërem; deinde aquam *bibendo*, de quo vehiculo seminum certiores nos reddit perillustr. LINNAEVS in *systemate naturae*, qui lumbricos longos in fluuiis passim inuenit, vbi procul dubio semina sua deponunt, quae postea cum aqua ex fluuiis assumenda deglutiuntur; porro esculenta *deuorando*, vtpote quae aëri exposita, ex quo vermium semina partim in illa dilabi, partim ab animalculis ipsis in illa possunt deponi; denique etiam *sedendo* in locis impuris, ex quibus vermes intestinum rectum irrepere et semina sua ibidem deponere queant, id fieri solere existimant.

### §. VI.

Interim sola seminum praesentia ad vermes actu producendos non sufficit, sed requiritur etiam determinatus sufficiens gradus *caloris*, quem corporis humani calor et motus intestinus, sub putrefactione contingens, subministrant. Quamquam enim generationem *aequiuocam* reiecerim, putrefactionem tamen ab hoc negotio nequaquam excludendam, sed potius eam,



tamquam causam sociam, admittendam esse nemo facile dubitat. Dependet autem illa putrefactio a prava potissimum digestionem, quae in verminosis reperitur; hac enim turbata impeditur salutaris confermentatio alimentorum et in putredinosum motum intestinum abit, sub quo ouula maturitatem commode acquirunt et prolem edere solent. Quando autem vermes hac ratione domicilium occuparunt, tum illud sponte non relinquunt, sed iam in propriis tunicis inclusi, iam per tractum intestinorum volutantes, iam certa loca occupantes vitam degunt, et sui similes gignunt, usque dum aut medicamentis, aut morbo, aut fame patriam suam relinquere cogantur.

Non ignotum est, ascarides interdum absque manifestis causis cum faecibus aluinis excerni; sed si penitus rem perscrutamur, haec potius violenta, quam spontanea excretio dici meretur.

## §. VII.

Sicuti morbi *signis* se produnt, sic illorum quoque causae ex iis colliguntur: Prius vero colluuius verminosa, ut causa morborum, diiudicari non potest, quam statum qualemcunque praeternaturalem induxerit. Huc pertinent sequentia signa: tormina in abdomine, saliu copiose in os defluens, praesertim ieiuno ventriculo; narium frequentes pruritus; foetor oris; facies mox pallida, mox rubescens; oculi turbidi, obnubilati et in cauitates altius demissi, adpetitus vagus et adeo inordinatus, ut tales homines hoc die fere infatigabiles, altero autem nauseosi appareant; et tandem, quando malum diu inualuit, corporis tabes. Si autem vermes per aluum aut per vomitum eiciuntur, tum hoc omni-



omnium signorum certissimum est. Vid. SENNERT.  
*Praxeos Lib. III. Part. II. Sect. I. cap. V.*

Haec signa partim a vermium fame, partim a consumptione nobiliorum chyli partium, nutritioni alias destinatarum, sunt deriuanda, et valent tantum de lumbricis longis et latis; ascarides enim solo ad tenesum pruritu dignoscuntur. Praeterea sicuti, genuina iubente pathologia, in omni morborum diagnosi ad subiecta respicere oportet, ita vermes vix ac ne vix quidem in aliis, quam in illis, qui vitii primarum viarum laborant, inuenies.

§. VIII.

Praeliminarem methodum, qua vermibus onerati ordinarie curari solent, praemittendam vtile iudico, vt deinde ex sequentibus clarius illucescat, quomodo differat ab ea, quae in complicatione vermium cum aliis morbis diuersimode mutari ac determinari debet. Videlicet vt vermes e corpore proscribantur, primum fatiari, deinde enecari et denique excludi debent. Prima indicatio perficitur eupeptis dulcibus, ad satietatem ingestis, ne vermes, si amara et ingrata sub initium offerantur, tunicis se abscondant, vel alio modo tractum intestinorum fugiant. Altera absoluitur medicamentis, quae anthelmintica audiunt, nimirum radicibus galangae, zedoariae, gentianae rubrae, angelicae, imperatoriae, aristolochiae rotundae, helenii, carlinae, herbis absinthii, tanaceti, abrotani, rutae, fumariae, centaurei minoris, seminibus erucae, sinapii, hyperici, nasturtii. Tertia requirit vsu laxantium, e. g. salium fontium, rhabarbarinorum, aloëticorum, elleboratorum et securorum mercurialium. Quae medicamenta eo vsque continuanda sunt, donec vermium vestigia



non amplius adpareant. Caeterum diaeta eupepta commendatur ad nouam horum animalculorum productionem impediendam: veriffimum enim est SENNERTI assertum *de infantium curatione Parte II. cap. 23.* prolatum, tutius esse, praestare, ne lumbrici generentur, quam vt generati expellantur.

CAPVT II.  
DE  
RESPECTV AD VERMES IN MORBIS  
CHRONICIS HABENDO.

---

§. IX.

**V**ix ac ne vix quidem creditur, quot quantaque mala vermium agmen mortalibus adferat. Quoties autem haec animacula occurrunt, toties hoc fieri solet in homine vel adhuc sano, vel morbis, aliunde ortis, afflicto.

In priori casu motus, vermibus accedentes, tamquam formale morbi, vna cum colluue verminosa veros quidem morbos constituunt e. g. cardialgiam, colicam, diarrhoeam, passionem iliacam, spasmos, conuulsiones; sed cum hi simplices, a vermibus dependentes, morbi non sint considerationis meae, silentio eos praetermittendo, posteriorem casum explicandum agredior.

§. X.

Videlicet subaudio *vermium cum aliis morbis complicationem*; cuius existentiam hypotheticam nemo negabit, qui considerat, quoslibet aegrotantes obnoxios esse





DE RESPECTV AD VERMES IN MORBIS CET. 15

esse posse et solere vitiis primarum viarum, vnde vermes potissimum originem ducunt.

Hanc cardinalem thematis mei adsertionem vt certior reddam, argumenta quaedam in medium proferre conueniet. Tò *posse* quidem nullus in dubium vocabit, sed circa Tò *solere* seu frequentiam complicationis verminosae cum aliis morbis quispiam forte, primo saltem intuitu, dubius haereret. Primum certa fide constat, quod potiora subiecta morbosa sint homines, qui sedendo potissimum vitam degunt, atonia totius corporis, praecipue autem primarum viarum laborantes; quare eorum concoctio facile vitiatur et hoc modo vermium generationi via aperitur. Deinde pathologia nos certiores reddit, ventriculum saepius aliorum morborum existere reum, adeo vt nullum in corpore viscus tam frequenter, quam ventriculus, symptomatice adficiatur; quam veritatem, in praxi admodum vilem, Dn. D. IO. GOTTFR. STOECKER in dissertatione, anno MDCCCL. hic Halae ventilata, *de fatis ventriculi dolendis*, distinctius explicauit. Porro ex his symptomaticis vitiis noui idiopathici morbi originem ducunt, quando nimirum, ventriculo symptomatice laborante et alimenta repugnante, haec ipsa adeo coacte ingeruntur, vt minus rite concoqui queant; quae sane scena tam saepe luditur, vt, nisi diaeta exacte obseruetur, non facile morbus sine turbis ex ventriculo absoluatur. Quam ob causam practici vnanimi quasi voce serio suadent, vt ventriculus, si fieri possit, in principio omnium morborum blande purgetur. Itaque ipsi morbi, aliunde nati, ventriculum adficiendo, illiusque atoniae, saburrae in illo, et vermium generationi causas suppeditando, mihi respectum ad vermes habendum iniungunt. Tandem ad suaforem thematis mei, nimirum ad Dn. PRAESIDEM prouoco, qui respectum in morbis tam chronicis, quam acutis habendum, vti viua voce saepe commendauit,



uit, sic etiam litteris expressum dedit in *Conspectu med. theore-  
tico-practico tab. de vermibus pag. 855.* inquit: „Acuis  
„morbis vermes sociati maximorum damnorum auctores  
„sunt, e. g. si in acutis anorexia occurat, et vermes, nu-  
„trimento destituti, moriantur, atque in intestinis putre-  
„scant, lethales saepe motus et irritationes succedunt,  
„nempe conuulsui adfectus, deliria, diarrhaeae, quae  
„omnia in acutis periculum augent. Cum chronicis au-  
„tem morbis coniuncti, e. g. malo hypochondriaco-hy-  
„sterico, motibus haemorrhoidalibus, his non leue pon-  
„dus addunt, et motus pertinacissimos ad exprimendum  
„et excutiendum concitant.

## §. XI.

Supposita hac veritate, quod scilicet vermium  
cum aliis morbis complicatio existat, ad propositum  
meum propius accedo, et hoc capite per varias morbo-  
rum *chronicorum* classes ostendam, quomodo vermium  
praesentia in hisce morbis vel motus ordinatos turbare,  
vel eorum causas materiales augere valeat; cui expli-  
cationi ea simul, quae therapeutice erunt notanda, sub-  
iungam.

## §. XII.

Iure autem merito agmen hic ducere debent *hae-  
morrhagiae naturales*, quae utpote actiua congestione  
et directione contingunt, et sibi relictae, si periculosae  
viae excipiuntur, salutarem semper obtinent finem;  
quando autem placidus earum successus per causas oc-  
casionales turbatur, non raro sinister euentus succedit.  
Atque ad has causas, haemorrhagias peruertentes,  
merito referuntur vermes, qui per ingratas, quas sti-  
mulo producant sensationes, molimina haemorrhagica  
adeo anomala reddere valent, ut haemorrhagiae vel in  
ordi-



ordinario placido decursu turbentur, magisque laboriose et dolorifice contingant, immo ad incongrua loca inuidentur, vel plane supprimantur et motus congestorii ad interiora loca reuocentur, vel etiam, si motus haemorrhagici pertinaces sunt, quandoque excedunt.

Miramur saepius, si in primis aetatibus motus haemorrhagicos vitiosos obseruamus et grauiore interdum suspicamur causas, ac tum quidem non raro vermes, motuum antipraxiae auctores, prodeunt; hi enim his aetatibus, ob addephagiam consuetam, efficere solent haemorrhagias narium inordinatas, tumultuarias, multisque incommodis stipatas: quae irregularia conamina haemorrhagica in habitum abire et progrediente tempore periculosos in pectore insultus haemoptycos producere queunt. Potissimum vero vermes in prouectiore aetate, ob partium adfinitatem, negotium haemorrhoidale, quod per se ad turbas admodum inclinatur, facile peruertunt; in menstruo quoque fluxu anomalias haud mediocres producere obseruantur, ita, teste COSCHWITZIO in *pathologia Part. II. Sect. I. cap. V. §. XXX.* sub mensum emanatione non raro causarum classi adnumerare debemus vermes. Caeterum de his in abdomine ataxiis sub congestionibus plura dicam.

### §. XIII.

Nemo sane in hac *haemorrhagiarum* turbatione dubitabit, quod Medicus in primis respectum ad vermium expulsiōnem habere debeat; quae ergo promouenda erit per methodum paragrapho octauo indicatam, ea tamen discretione, ut anthelmintica *calida*, propter negotium haemorrhagicum, euitentur et non nisi blanda vacuantia eligantur, vel horum loco clysteres e muria, cui incocta sint absinthium, abrotanum,

C

tana-



tanacetum, centaurium minus, addito oleo rutae et melle rosarum solutio, imprimis in ascaridibus, exhibeantur. Postea, remotis vermibus, ea, quae therapia praescribit ad haemorrhagias turbatas suppressasque in rectum tramitem reducendas, nec non ad excedentes temperandas, feliciter usum habere possunt.

## §. XIII.

Caeterum quum de haemorrhagiis hic sermo sit, annotandum esse iudico, quod vermes quandoque fluxiones sanguineas, *dysenteriam* nempe et *haemorrhoides*, simulent. Quando enim lumbrici, sanguinis functioni intenti, vascula sanguifera adrodunt, sanguisque effluens cum humoribus impuris, in tractu intestinorum praesentibus, remiscetur, tum a vellicatione nervorum sanguis non solum copiosius excernitur, sed tales quoque dolores, qui dysenteriam simulat, excitantur. Pari ratione hi lumbrici rodentes et effractores fluxum aliquando haemorrhoidum mentiuntur, ascarides vero tenesimum haemorrhoidalem saepius molestissimum imitantur.

Non placet autem haec vermium mendacia explicatius allegare, quia DNVS PRAESES de hac re ex instituto, in *dissertat. de vermibus, dysenteriam et haemorrhoides* mentiuntibus, egit.

## §. XV.

Haemorrhagias iusto ordine sequuntur *congestiones*, partim ob nexum pathologicum, quo coniunguntur, partim ob consecutionem, quia turbae a vermibus in haemorrhagiis metuendae etiam in congestiones cadunt. Interim non omnes in corpore obuenientes congestiones aequae male a vermibus adficiuntur; nam illae,



illae, quae in visceribus abdominalibus contingunt, impetuosiores obseruantur. Vocatur autem complexus congestionum, ab impedito sanguinis fluxu in vena portarum inque vasis vterinis originem ducens et ad omnia fere abdominis viscera sese extendens, *malum hypochondriaco-hystericum*. Hoc per spasmos, a vermibus productos, non raro adeo exasperatur, vt dira sane proueniant symptomata, schemataque adpareant morbosa propemodum stupenda ac malum hoc polymorphum dictum, fere euadat thauatomorphum. Absque difficultate quoque rationes perspicere licet, cur vermes talem tyrannidem in hunc morbum exferere soleant. Nam spastica symptomata in intestinis, summa irritabilitate gaudentibus, a vermibus producta, aequales quoque in confiniis spasmos excitare solent. Consensus vero ventriculi intestinorumque cum vena portae tantus est, vt nonnullis imposuerit eruditis, sedem mali istius polymorphi in ventriculo et intestinorum tractu esse inueniendam; sinister enim venae portae ramus, qui *splenicus* vocatur, venas tam *gastricas*, quam *epiploicas* varias, *gastro-epiploicas*, *coronariam ventriculi* ac *vasa breuia* eo dimittit; quare vermes in his vasis traegediam spasmodicam commode et quasi immediate ludere queunt. Sic etiam facili negotio similes stricturas, magis tamen mediate, in vena *haemorrhoidali interna*, a qua in sexu sequiori ad vterum ramuli, cum aliis vasis sese miscentes, proficiscuntur, nec non in mesenterio, vasisque interspersis, ad vterum quoque tendentibus, producere apti sunt. Non solum autem vitium *motuum* communicatur, sed eo ipso etiam *materialis* mali hypochondriaco-hysterici *caussa* grauior



redditur: sanguis enim spissus per vehementiores contractiones, a vermibus ortas, ad viscera translatus, magis magisque incarceratur et periculosas stagnationes variasque obstructions subit. Aptissima quoque sunt viscera abdominalia, licet sint mollia, ad acceptos a vermibus spasmos sustinendos: primo enim omnia vasa iisdem tunicis membranaceis irritabilibus, veluti intestina, sunt instructa, deinde omnia viscera a membrana eiusdem indolis inuoluuntur; porro multa ligamenta membranacea in illis offenduntur; denique *capsula GLISSONII* tota eiusmodi structura gaudet: hinc totum malum polymorphum, quod in principio simpliciter congestorium fuit, fit spasmodicum, immo convulsivum. Inter atrocia vero in hoc morbo complicato obuenientia symptomata frequentissimum et quam maxime dolorificum est *colica sanguineo-verminosa*, quae lethalem non raro adipiscitur euentum.

Eo magis autem haec complicatio notabilis est, quo diutius malum hypochondriaco-hystricum vermes dissimulare solet, ut eorum praesentiam non nisi ex pueris admodum mali symptomatibus cognoscere valeamus. Vxor quaedam viginti triumque annorum, male menstruata, ex obstructione lochiorum atrocibus passionibus colico-hystricis laborabat; quare Medici intentio ad eorum promotionem directa quidem erat, sed frustra propinabantur medicamenta; post temporis moram cadebat in terram et corripiebatur symptomatibus soporosis; cum cui-gilaret, hemiplexia lateris dextri aderat, quam pedetentim sequebantur atroces convulsiones, tam vniuersales, quam particulares; quae, instar globi, corpus in lecto mouebant: praeterea delirans in paroxysmo semper ridebat. Pretiosa et famigerata specifica antepileptica nihil leua-



DE RESPECTV AD VERMES IN MORBIS CET. 21

Ieuaminis afferebant, tandem curatio dirigebatur ad vermes et eiiciebantur circiter ducenti maiores et centum minores. Non numquam symptomata a vermibus periodice introducuntur; vir litteratus, in officio satis honorato constitutus, hypochondriacus, quolibet mense, per aliquot dies, insultum a vermibus vehementiorem, cum diarrhoeis coniunctum, experiebatur, quo tempore ascarides copiose excernebantur.

§. XVI.

Sed vt vincula huius complicationis tuto difrum-  
pamus, conueniet talia anthelmintica eligere, quae cum  
curatione antihypochondriaca commode coniungi que-  
unt. Commendamus idcirco, vt bis quotidie ad sex  
vncias bibatur sequens infusum; Rec. rad. aristoloch.  
rotund. galang. carlinae ana vnciam dimidiam herbae  
millefol. manipulos tres (quae per ingratum saporem  
vermibus inimica et in turbis venae portae amica est)  
herb. tanaceti, absinth. abrotani ana manipulum vnum  
feminae erucae, nasturtii ana drachmas tres passular.  
min. sacch. alb. vncias tres Inc. contus. infund. aqua  
feruid. q. s. leniter ebulliant: quouis praeterea bihorio  
exhibeatur mixtura temperans nonnihil anthelmintica;  
Rec. Rae rosar. rubr. flor. tiliae ana vncias duas, salis fon-  
tium amari vnciam vnam, lap. prunellae vnciam dimi-  
diam, spiritus nitri dulcis drachmas tres M. et versus  
somnum dosis pilularum Stahl. vel Becher. quae per ex-  
perientiam et rationem anthelminticae sunt, subiun-  
gatur.

§. XVII.

Conuerto me ad reliquos motus *particulares*,  
quos itidem vermes turbare solent; sic infelicem mo-  
tuum



tuum *spastico-artriticorum* metaschematismum producere valent, quando nimirum tales motus, qui rationali modo ad partes externas ignobiliores diriguntur, reuocant et ad nobiliores internas determinant. Notissima in primis est podagrae ad intima corporis, et speciatim ad venae portae ambitum, retrocessio, cuius facilem recedendi modum STAHLIVS in *theoria medica* pag. 1046. per rationes anatomicas exposuit; materialis enim horum motuum causa, in illis locis, quae occupant, exigua omnino est, et vniuersaliorum magis, nempe plethoram spissam respiciunt, quare auocari facile possunt et stimulos alienos prompte sequuntur. Igitur non mirum est, hos motus maioribus et dolorificis vermium sensationibus auscultare et ad interiora reuocari. Quam vero funestam tales morbi retrogradi catastrophem inducant, res per vulgus notissima est.

## §. XVIII.

Ex quibus iudicandum est, quod haec a vermium introducta antipraxia motuum praxin reddat difficilissimam. Licet enim vermes feliciter eiiciantur, motus tamen anomali, ad viscera delati, pertinaciter continuant, et periculosas sanguinis stases minantur. Interim tentare conuenit, quid valeant temperantia communia et specifica, immo blanda anodyna ad tales dolores mitigandos, numque temperata alexipharmaca hosce motus ad exteriores partes reuocare possint.

## §. XVIII.

Porro etiam in illis morbis chronicis, in quibus contra indolem suam *motuum animalium* peruersio obser-



seruatur, ad vermes respicere oportet. Non autem hic puto vermes ideales et cerebrinos, de quibus valet tritum illud dictum: *quemquem suus vellicat vermis*, sed vermes intestinales. Hos enim solos, in corpore praesentes, aliquando deliria producere, notum est: quid non efficient, si cum aliis morbis complicati sunt. Principium enim vitale, quando sensu suo interiore materias peccantes grauiiores, quam ut superari possint, diiudicat, facile perturbatur, consternitur et in *melancholiam*, *maniam* atque *phantasiae perturbationem* conuicitur. Interea solatio est, quod haec deliria plerumque euanescent, si vermes expulsi sunt; quare ista expulsio, quam primum morbus complicatus eam concedit, efficaciter suscipienda est.

## §. XX.

Denique *motuum vitalium defectum*, morbis chronicis ex vermium causa superuenientem, allegare dignum iudico. Rarior quidem est iste defectus, nempe tunc demum accedit, quando morbus chronicus vel per se iam grauior est, vel motus excedentes diu durarunt, et naturae vires exhauserunt, vel, quod non raro fit, hostis ex falsa opinione inuincibilis reputatur, ideoque motus pugnantes abiiciuntur et corpus fato suo relinquitur; quemadmodum illud in morbis soporosis, apoplexia, hemiplexia, paralyti, syncope et lipothymia videre licet. Interim tamen hic motuum defectus eo valere non debet, ut Medicus quoque animum pugnandi et resistendi abiiciat. Obseruetur modo, quod in talibus casibus anthelmintica paullulum efficaciora sint praescribenda, ut hac ratione motus deficientes simul exci-



excitentur. Sufficiant haec de anomaliis motuum ex vermibus in morbis chronicis dixisse.

§. XXI.

Progredior ad eos morbos, in quibus vermes magis *materialiter* nocent. Hic in primis se offert modus generalis, quo chylum conspurcare et impurum reddere queunt; in iisdem enim organis, vbi chymificatio et chylicatio contingunt, suum habent domicilium: vnde impuritates verminosae cum chymo & chylulo facile possunt commisceri. Qualis vero chylus, talis sanguis. Possem hic in varios morbos, qui ex impuritate massae sanguineae ortum trahunt, excurrere; sed cum haec explicatio vsu practico destitueretur, eam lubentius praetermitto: eadem enim erit curatio cacochymiae, siue illa ex sobole verminosa, siue aliunde fuerit orta. Itaque ad speciales accedo morbos, cum quibus verminosa materia complicationes subit.

§. XXII.

Eiusdem indolis est *atrophia*, quae a positivo defectu lymphae nutrientis ortum ducit. Dependet talis defectus ordinarie vel ab obstructione vasorum lacteorum, vel glandularum meseraicarum: vnde fluxus chyli per ista vasa impeditur. Cum his ordinariis causis frequenter coniungitur *verminatio*; duplici autem modo vermes atrophiae euadunt causa; primum *viui*, deuorando particulas chyli optimas, deinde *mortui*, chylum reddendo crassorem. Sed quamquam haec causa verminosa ab ordinaria sit diuersa, vnam tamen eandemque remotiorem agnoscit, nimirum vitium in diaeta, quod, excedente ciborum copia, quam ventriculus



culus digerere nequit, committitur. Conf. COSCH-  
WITZIVS *in pathologia part II. Sect. II. cap. II. pag. 341.*  
et DNVS PRAESES *in conspectu med. theoretico-practico*  
*pag. 362. FORESTVS lib. XXI. obs. 29.*

Aliquando etiam in adultioribus vermes maciem totius  
corporis producant, in quibus deinde *phthysos* nomine  
insignitur.

§. XXIII.

Ordinarie quidem atrophiae indicationes postu-  
lant resolutionem materiarum, in vasis lacteis et glan-  
dulis impactarum, earumque sufficientem excretionem:  
sed medicamenta, quae haec praestant, nullius effica-  
ciae sunt in atrophia verminosa; quare mox anthelmin-  
tica coniungi debent, sin secus, malum inualefcit, et  
febris, licet salutarem finem respiciat, vitae terminum  
imponit. Errant sane illi, qui iudicant, lenia laxantia, in  
curatione atrophiae consueta, vermes in statu hoc com-  
plicato simul esse effectura: quamquam enim per illa  
nonnulli forte vermes excernantur, in statu tamen ma-  
gis obfirmato minus sufficiunt. Accuratus hinc do-  
cet DN. PRAESES *in conspectu med. practico pag. 366.*  
inquiens: „Quando itaque vermes hoc malum induxe-  
runt, non cedit atrophia, nisi colluies ista anthel-  
minticis amaris, e. g. myrrha, semine fantonici cum  
pane mellito, vel insipidis, v. g. corallinis, cornu cer-  
ui vsto, mercurialibus, enecetur et extra corporis fines  
proscribatur.“ Omnium autem medicamentorum ad  
hanc atrophiam curandam optimum est *mercurius dul-*  
*cis*, qui singulis atrophiae indicationibus satisfacit, tam-  
quam enim egregium resoluens ac laxans materias im-  
pectas praeparat simulque excernit, et praeterea vermes

D

non



non solum enecat, sed etiam expellit; neque in febre atrophica reformidandus et cuique, etiam tenerrimae aetati, proficiuus.

## §. XXIII.

Accidit aliquando, vt *lactis retrocessio* vel potius illius *defectus* in lactantibus ob vermium praesentiam contingat. Vid. HOLLER. *lib. I. cap. 54. de morb. int.* FOREST. *lib. VII. obseru. 35. in Schol.* Dubito autem, num hunc defectum eodem modo, sicuti in atrophia, a consumptione particularum ad lactis secretionem necessariorum, et non potius a congestione ad mammas turbata, deducere debeam. Vltimae rationi videtur fauere, quod subiecta, in quibus hunc lactis defectum obseruamus, plerumque non maciem, sed habitum corporis plenum referant. Interim vtraque passim caussa simul locum habere potest. Dubia autem haec pathologia dubiam non faceret regulam practicam; nam anthelminthica ordinaria vtrimque essent exhibenda.

Duplicem talem memorabilem casum exhibuit D. NICOLAUS ANDRY in libro de la generation des vers dans le corps de l'homme, chap. IV. art. 2. des effets des vers enteraux pag. 82. quos hic exscripsisse casus lectori non displicebit, ita autem eosdem exhibet: „Vne nourrice me vint demander quelque remede, pour lui faire revenir son lait qui étoit tari, je lui en enseignai un, qui ne fit aucun effet; „elle vint me retrouver, je lui en conseillai un autre, qui fut aussi inutile que le premier; surpris de ce peu de succès, je m'avisai de lui en ordonner un pour les vers, „elle prit le remede le lendemain, et trois heures après „elle rendit vingt-trois vers, dont quelques-uns avoient „prés d' un tiers de long. Son lait revint quelques jours „ensuite, et elle en eut les mammelles pleines. Il faut „remar-



„remarquer que cette nourrice étoit prasse, de bonne cou-  
 „leur, et ne se plaignoit d' aucune incommodité, sinon  
 „que lors qu'elle étoit longtems sans manger, il lui prenoit  
 „des étourdissemens., Vne autre, âgée de trente ans,  
 „assez maigre, un peu pâle, et d' un temperament vif, me  
 „vint trouver et me disant, que son lait lui avoit manqué  
 „tout d' un coup; j'examinai son sein, que je trouvai  
 „fort vuide, et d' où il fut impossible de tirer une goutte  
 „de lait; le mammelon étoit plein de fentes, semblables  
 „à celles qui viennent quelquefois aux lèvres. Autour  
 „du mammelon paroissoit un cercle beaucoup plus pâle  
 „que celui qu'on a coûtume de voir aux mammelles de  
 „certaines nourrices; je voulus savoir de quelle qualité  
 „étoit l' urine de cette femme, et son urine me parut d'  
 „abord assez belle; mais l' ayant laissé reposer, je la vis,  
 „qui de transparente qu'elle étoit, devint trouble et blan-  
 „cheâtre, ainsi qu'il arrive aux urines de plusieurs mala-  
 „des. Après cela je demandai à la nourrice si elle nesen-  
 „toit point quelque douleur de ventre, elle me répondit  
 „que tout ce qui l' incommodoit étoit des étouffemens,  
 „qui la prenoient la nuit, et qu'elle n'avoit point le jour.  
 „Je lui ordonnai un remede contre les vers, sans lui dire  
 „que c' étoit contre cette maladie, et lui recommandai  
 „de m' informer de ce qui se passeroit; elle vint me trou-  
 „ver 8. jours après, et me dit que depuis ce remede elle  
 „n' avoit cessé de rendre des vers tous les jours, qu'au reste  
 „il lui sembloit que son sein grossissoit. Je voulus voir  
 „alors si je remarquerois les mêmes choses que j'avois ob-  
 „servées auparavant, et je ne trouvai plus de crevasses  
 „au sein, le cercle du mammelon n'étoit plus si pâle, et  
 „l' urine reposée ne changeoit plus; je ne doutai point  
 „alors que le lait ne revint entierement, si je donnois  
 „encore pour les vers à cette femme: ce que je fis, et ce  
 „qui me réussit si bien, que quinze jours ensuite elle vint  
 „se



„se presenter devant moi avec un gros enfant entre les  
bras, qui la tettoit à pleine bouche,

## §. XXV.

*Materialiter* porro colluuiēs verminosa se coniungit cum *obstructione aluina*, *flatibus* et *materia biliosa*, hasque materias peccantes reddit grauiores. Oriuntur hinc symptomata maiora: sub *alui* enim *obstructione* vermes non solum contractionis spasticae vehementioris, torminum ac dolorum causa existunt, quibus aluina retenta compactiora redduntur, sed, mortui praecipue, materiam magis ad putredinem aptam exhibent, et duplici hoc modo motum aliquando peristalticum inuersum ac *passionem iliacam* producunt; cum *flatibus* autem in intestinis incarceratis quando concurrunt, varii *rheumatismi*, *anxietates praecordiorum* et *tumores tympanitici* oriuntur; *biliosae* denique *suburrae* immixti materiam tam foetidam et naturae inimicam suppeditant, vt *colicas*, *conuulsuas* et periculosas intestinorum *inflammationes* excitare valeant.

## §. XXVI.

Nemo autem non videt, necessarium in hac complicatione morborum esse, vt cum reliquis, ad hos morbos necessariis, medicamentis statim anthelmintica securaque anodyna coniungamus et topica quoque in vsum vocemus. Festinatio autem magnae hic prudentiae est; licet enim haec vitia, si simpliciter occurrunt, non adeo vrgentia sint, in statu tamen complicato minime moram concedunt.

## §. XXVII.

Maximam tandem materialem noxam vermes efficiunt, quando parietes laedunt et tractum intestinorum



rum perforant; cuiusmodi exempla leguntur in HOL-  
 LERIO *de morb. intern. lib. I. cap. 54.* NICOLAO FLO-  
 RENTINO *serm. 5. tract. 8. cap. 54.* FORESTO *lib. 7.*  
*obs. 35. in Schol.* TRINCAVELLIO *de rat. cur. libr. 9.*  
*cap. 11.* et in primis SCHVLTZII *dissertatione de lum-*  
*bricis effractoribus*, Halae anno MDCCXL. in lucem  
 missa. Perforatis autem intestinis lumbrici cauum ab-  
 dominis longe lateque perreptant et mesenterium, he-  
 par reliquaque viscera qualicumque modo laceffant, vn-  
 de congestiones tumultuariae et interdum humorum  
 extra vasa eruptiones sequuntur. Praeter ea *cachexiae*,  
*ictero*, *hydropi* vias aperiunt, et cum his in complicatio-  
 ne adparent. Sed, si aperte fateri licet, iudico, quod  
 in omni vermium perforatione statim sub initium com-  
 plicatio alius status morborum praesto esse debeat, alias  
 sane perforationis exempla multo essent frequentiora,  
 quandoquidem magna saepius lumbricorum copia, illae-  
 sis intestinis, detegitur. Viderur itaque res optime in-  
 telligi posse, si morbum complicatum assumimus, e. g.  
 ex hernia, vermium pollutione, inflammatione, sup-  
 puratione, vnde tandem continui solutio succedit; sic-  
 uti talem casum legimus in dissertatione DN. COITH  
*de lumbricis intestino perforato per abdomen egressis*, Ba-  
 sileae anno MDCCXXXIV. ventilata. Quando vero,  
 praeter perforationem intestinorum, *cachexiam*, *icterum*  
 et *hydropem* ex vermium praesentia ingrauefcere obser-  
 uamus, hanc perniciem ex illis, quae §. XV. leguntur,  
 explicare debemus.

Quosdam adhuc casus hic ex CEL. LVDOLPHI disserta-  
 tione *de hydropo a vermibus producto* allegare conueniet, ne  
 casuum clinicorum imperito de entibus rationis egisse  
 vide-



videar. „Primus erat puer quindecim annorum, qui fere  
 „per dimidium annum ascite laborauerat, abdomen valde  
 „erat tumidum, vndulans aqua optime obseruabatur.  
 „Purgantibus vna cum aliis medicamentis per quatuor de-  
 „cim dies continuatis, tumor sensibilibiter imminuebatur,  
 „sed vltior medicamentorum vsus nihil amplius efficie-  
 „bat. Postea sentiebat acerbissimos et mordaces abdomi-  
 „nis dolores, qui suspicionem vermium excitabant, prae-  
 „cipue quia nares pruriebant, facies pallida erat, appeti-  
 „tus magnus vrgebat. Hae circumstantiae suadebant ant-  
 „helmintica vna cum antiputredinosis, quibus per men-  
 „sem vnum continuatis, tumor abdominis euanescebat et  
 „puer integram recuperabat valetudinem.„ Alterum casum  
 „exhibuit puella sex annos agens, quae subitanea corripie-  
 „batur anasarca, post adhibita bezoardica autem et purgan-  
 „tia lenientia intra spatium 14. dierum sana euadebat, vix  
 „autem elapsis duobus mensibus grauiori onerabatur ana-  
 „sarca, quae spatio 24. horarum apparebat. Iterum be-  
 „zoardica et purgantia in vsum vocabantur, et tunc pro-  
 „dibant per aluum tres lumbrici terrestres, qui suadebant  
 „vsus anthelminticorum vna cum bezoardicis, quibus  
 „ita restituta fuit, vt hunc vsque in diem nullum indici-  
 „um anasarcae perceperit.

## §. XXVIII.

Ratione curationis vermium, abdomen perforanti-  
 um, anhelmintica quidem essent propinanda, sed haec  
 non nisi cum humoribus commiscendo, seu, vti loqui-  
 mur, per epicrasin efficaciam suam praestare possent.  
 Ast altioris quaestionis est, quomodo vermes enecati  
 expelli et laesiones consolidari possent. Vtrumque ar-  
 duum momentum autocratiae naturae potissimum com-  
 mitti deberet; interim pro scopo vermium expellendo-  
 rum infusum foliorum fennae, et intuitu laesionis con-  
 soli-



solidandae infusum Paracelsi ex herbis satis notis exhibere, congruum esset. Sed quis non intelliget, paucos in tristi eiusmodi statu mortem effugere, et paucissimos in gratiam cum bona valetudine redire posse.

§. XXVIII.

Ponamus denique, vermes praesentes neque motus ordinatos morborum chronicorum turbare, neque causas eorum augere, (quod tamen vix fieri poterit); nihilo tamen secius respectum ad vermes habere oportet: quia praesentia eorum in chronicis morbis curationem chronicam postulat. Medicamenta enim, ut antiquus canon loquitur, agunt potissimum receptione sui; haec autem per vermes vel turbatur, vel plane sufflamatur; id quod antepilepticorum in convulsione verminosa iners effectus apprime testatur.

Sub capitis huius finem respectum quoque vermium in gravidis serio suadeo, quia ex illis abortum factum esse constat.

CAPVT III.

DE

RESPECTV AD VERMES IN MORBIS  
ACVTIS HABENDO.

§. XXX.

**G**eneratim *acuti morbi* audiunt, qui cito incipiunt, eodemque modo decursum suum absoluunt, et certis dierum terminis adstringuntur: speciatim vero



vero et proprie non nisi *febris* hoc nomen tribuitur; quare de illis mihi agendum erit.

## §. XXXI.

*Vermium* autem in *febris* respectus eo accuratius erit habendus, quo magis perturbationes in illis nocent et quo frequentius errores practici in complicatione vermium cum illis obseruantur. Cum enim certum sit, motus in febris ita esse comparatos, vt materiae noxae subactionem et excretionem maxime ordinatam intendant; tum exinde adparet, omne illud, quod motus regulares ac proficuos turbat, tamquam naturae inimicum considerandum esse. Eiusmodi effectus sunt vermes, qui non solum periodum et typum febrilem generatim turbant, sed etiam inordinatos motus se-et excretorios reddunt: vnde *febres anomalae, corruptae* et *symptomaticae* proueniunt. Errores autem practicos in harum februm curatione passim committi, experientia docet; vel enim vermium respectus plane negligitur, vel, si isti in sensus cadant, omnis contra illos, neglecta febris curatione, medela dirigitur. Quam peruersam medendi rationem FORESTVS in *obseruationibus et curationibus medicinalibus lib. XXI. obs. XXXI. in Scholio* sequentibus verbis perstringit: „Quando igitur vermes reiiciuntur in morbis acutis, vt in febris ardentissimis et aliis morbis senum et puerorum, non statim debemus ad illos totam nostram attentionem conuertere, vt mulierculae faciunt et Medici mulieribus inseruientes: nam hoc facit, vt aegri intereant, cum neglecto morbo, magis ad vermes curationem conuertunt, quam ad morbum.„ Et *libro VII. obs. XXXVI. inquit*: „Vermium curandi ratio non est



„est differenda, et interdum simul febris si adfit, non  
 „est despicienda. Quare cum multi hoc ipsum non ani-  
 „maduerterint, factum est, vt nulla lumbricorum ratio-  
 „ne habita, corrofi ab iisdem et conuulsiui interierint.,

§. XXXII.

Febrium differentia notissima est, sunt nempe vel  
*continentes*, vel *continuae* vel *intermittentes*. *Continen-*  
*tes* pure tales in nostris regionibus raro obueniunt;  
 quare de respectu in illis ad vermes vberius dicere non  
 adeo necesse erit.

§. XXXIII.

*Intermittentium* autem febrium cum vermibus  
 complicatio quotidie fere occurrit. Neque hoc miran-  
 dum est: colluues enim verminosa cum *quotidiana* et  
*tertiana* materialem habet conspirationem, quia vtrarum  
 causa materialis proxima videlicet deprauatio prima-  
 rum viarum cum vermibus eandem sedem habet. Cum  
*quartana* autem, cuius causa materialis in secundis  
 viis residet, per partium consensum, translationem  
 moruum, a vermibus productorum, secundum §. XV.  
 magnum habet commercium.

§. XXXIV.

Euidenter itaque constat, quod respectum thera-  
 peuticum in his febribus ad vermes habere debeamus.  
 In *quotidiana* quidem et *tertiana* methodus therapeu-  
 tica in eo consistit, vt anthelmintica *extra* paroxysmum,  
 febrilia autem in eodem rite ordinemus.

§. XXXV.

Enim vero maiorem circumspectionem requirit  
*quartana*, vtpote quae febris indole sua placidos habet  
 motus, ideoque non perfert fortes commotiones. Ita-  
 que



que non conveniunt amara calida aliaque commoventia; id quod iam adnotavit FORESTVS *l. c. lib. VII. obs. XXXVI.* vbi de febre quartana intermittente cum vermibus iuncta ita differit. „Occiduntur amaris, sed „haec plerumque calida sunt, quae semper febribus non „conueniunt., Eligendae hinc erunt, praeter consueta febrilia, herbae *temperatae* amarae.

Celebratur etiam tamquam anthelminticum cortex chinae chinae, sed hanc virtutem in dubium vocare iubet me casus, quem DN. ANDRY *l. c. pag. 89.* ita exhibet: „Il „y a peu d' années qu' ayant été appelé, pour voir un „jeune garçon malade d' une fièvre tierce, auquel on „faisoit prendre inutilement le quinquina depuis trois se- „maines, j'avertis le pere et la mere que leur enfant étoit „malade de vers, que cette fièvre venant d' une telle cause, „le quinquina ne la gueriroit point, et qu' il falloit re- „courir à d' autres remedes; j' en prescrivis quelques-uns, „qu' on se dispoisoit à faire, lors qu' il entra une personne, „qui soutint qu' il n' y avoit point de vers dans le malade, „parce que le quinquina étant amer, les auroit tous tuez, „disoit-il, quand il y en auroit eus. Cette raison spécieuse, „se, que la pratique dément, porta les parens à continuer „l'usage du quinquina. Huit jours après la fièvre aug- „menta, il survint un transport au cerveau, et je fus rap- „pellé. Un lavement de lait, que je fis donner alors, „lâcha le ventre de l'enfant, et entraînant avec les matiè- „res quatre gros vers vivans, fit voir aux parens leur er- „reur, qu'ils reconnurent trop tard; car l'enfant mourut „peu d'heures après., Neque ratione concipi potest, tam parvam salis amari quantitatem, quam cortex peruuanus capit, virtutem praestare posse, quia magna partium terrestrium copia sufflamatur; quare isti admodum falluntur, qui ex principio salino usum chinae chinae defendere cupiunt.

§. XXXVI.



## §. XXXVI.

Progredior ad *febres continuas*, quae in primis cautum respectum ad vermes requirunt; sicut enim curatissimus in eis ordo obseruandus est, ita similem exposcit medelam. Vario quidem modo, secundum diuersum respectum, hae febres diuiduntur, sed meo proposito praecipue inseruiet illa diuisio, quae a propria harum febrium indole desumpta est, quaeque illas in *benignas* et *malignas* distinguit.

## §. XXXVII.

Ad priorem classẽ auctores referunt intermittentes legitimas omnes, ex acutis illas, quibus multi quidem adficiuntur, plurimi tamen sub placidis ac legitimis motibus se- et excretoriis ad sanitatem perueniunt; in posteriorem vero classẽ ex acutis illas ponunt, quae propter materiae peccantis prauam indolem in multis aegrotis euentum salutarem non sortiuntur. Praeter hanc distinctionem, usu non destitutam, aliam eamque meo fini et materiali febrium indoli magis accommodatam, proponere conueniet.

## §. XXXVIII.

Facile enim demonstratu est, omnes febres respicere remotionem talium materiarum, quae putrefactionem vel iam nactae sunt, vel ad eandem subeundam inclinant. Posterioris indolis voco *benignas*; euidentissime enim adparet, omnes materias febrium intermittentium, continentium, continuarum benignarum, catarrhalium et inflammatoriarum, sibi relictas, putredini concipiendae pronas esse: prioris vero indolis appello *malignas*; nulla enim datur maligna, in qua non materia putrefacta in humoribus oberrans praesto sit;



ex quibus malignis eas, quarum materiae tantum gradum subtilitatis acceperunt, ut per corpora spirare valeant, nomine *contagiosarum* insignire conueniet.

## §. XXXVIII.

Respectum itaque vermium tam ad malignas quam benignas febres continuas habiturus, illud demonstrare adnitar, quod ex vermibus febres malignae respectu tam materiae quam motuum fieri possint maligniores, benignae vero ex eodem fordido fonte grauiora nanciscantur symptomata, et aliquando in malignas mutari soleant.

## §. XL.

A *malignis*, utpote grauioribus, initium facio, quae sicuti, ipsorum cadauerum instar, *materiam* habent subtilem fermentantem et putridam; ita tales febres per putrefacta praecipue aluntur, et in peiorem indolem per talia augmenta conuertuntur. Vermes enim in primis viis mortuos putredinem subire, nemo dubitat: quare nulla difficultate patet, quod illa putrida corruptio malignis materiam suppeditare valeat, si cum aliis fluidis mixta per vasa lactea massae sanguineae admiscetur. Nullum etiam video dubium, quin, supposita cacochymia simplice, ex sola vermium putredine febres malignae oriri possint. Ex historia medica notum est, quod plures auctores causas febrium pestilentialium vermibus adscribant; KIRCHERVS in *scrutinio pestis* adserit, eas ex nullo alio fonte, quam ex colluue verminosa proficisci. Magis autem discrete NICOLAUS ANDRY *lib. cit.* eloquitur, inquit: „Je n'examine-  
„rai point ici si ce sont les fièvres malignes, qui donnent  
„occasion à la generation des vers, ou si ce sont les vers  
„qui



„qui causent les fièvres malignes; je dirai seulement  
 „que dans les dernieres, qui coururent, je ne trouuai  
 „pas de meilleur moyen, pour guerir les malades que  
 „je traitois, que de les gouverner par rapport aux vers  
 „je leur en faisois rendre un fort grand nombre, après,  
 „quoi ils guerissoient par l'usage de quelques cordiaux.,  
 Et potissimum FORESTVS *loco cit. lib. XXI. obs. XVI.*  
*in schol. plura talia exempla profert, ex quibus vnicum,*  
*quod lib. VI. obs. XXXVIII. legitur, illustrationis causa*  
 allegabo:

„Puer duodecim annorum febre pestilenti et admodum  
 „maligna et ardentissima, simul et fluxu admodum bilioso  
 „correptus, statim ab initio comate vigilante detinebatur,  
 „in typhomaniam incidit, quam alii permixtam phreniti-  
 „dem cum lethargo vocant. Mox symptomata facua ita  
 „increbuere, vt duabus septimanis puer omnino obmu-  
 „tesceret. Ex lecto frequenter prosilibat mutus atque dor-  
 „miens, caput et corpus ad parietem elidebat. - - Adieci-  
 „mus in curatione aliis congruis medicamentis anthel-  
 „mintica et simulac linimento contra vermes vmbilico  
 „illinito; ventre toto etiam inuncto cum oleo cydonio-  
 „rum et absinthite, his dictis medicamentis adhibitis  
 „multos et fere infinitos tam viuos quam mortuos vermes  
 „deiecit. Cessante delirio, aliisque grauioribus sympto-  
 „matibus consopitis, loqui coepit; fluxu adhuc perseue-  
 „rante, quamuis tunc minus vehemens foret, vt solidio-  
 „ra capere posset. Profuit tunc diacydonium sine specie-  
 „bus. Et cum iam fere per totum mensem iulium decu-  
 „buisset, praeter omnium spem, qui cum inuisebant, con-  
 „ualuit. Et nihil aequae profuit ad vermes et putredi-  
 „nem, quam continuus vsus cornu cerui vsti. Sed  
 „vnum adhuc notata dignum esse videtur. Cum enim  
 „delirium cessasset, maculae plumbeae, ad latitudinem  
 „volae,



„volae manus, per totum ventrem et corpus apparere,  
 „uales quoque, sed rarissime ita magnas, in peste fre-  
 „quenter vidimus, cum haec apparuissent, puer melius  
 „se habere coepit et sanus factus est.,

## §. XLI.

Quem ad modum autem per materiam vermium  
 putridam febres malignae maligniores redduntur: sic  
*motus* quoque ex eadem causa turbari et magis mali-  
 gnos fieri ex eo intelligitur, quia per putridam in ven-  
 triculo colluuiem (non omnis enim a vasis lacteis resor-  
 betur) a peripheria ad centrum reuocantur. Notissi-  
 mum est, quod motus placidi in febribus malignis  
 omne punctum ferant ad promouendas excretiones pe-  
 riphericas, et dici non satis potest, quantum et pot-  
 estatis et vtilitatis in iisdem sit positum; quare, si per  
 verminosum stimulum salutaris illa ad peripheriam di-  
 rectio conuertitur in *malignitatem motuum*, sanguis  
 tunc vehementer impellitur, et pulsus moderatus, ha-  
 rum febrium indoli proprius, mutatur in celerem, ma-  
 gnum et fortem; vnde exoptanda diapnoico-halituosa  
 excretio sufflaminatur. Qua de re STAHLIVS egre-  
 gie differit: „Malignitas proprie nihil aliud est, quam  
 „summa difficultas, consuetae excretionis ita instruendi,  
 „vt materiae mole paucae, et energia corruptiua valde  
 „efficaci ita exacte atque tempestiue satisfiat, ne prius-  
 „quam debito, tranquillo, ordinato atque subtili eua-  
 „cuandi modo atque motu hoc absoluitur, ingens ma-  
 „teria noxiae efficacia interim *praeualeat* et damnum  
 „inferat irreparabile., Conf. DN. PRAESIDIS *differ-  
 tatio de motuum antipraxis in febribus malignis materia  
 maligna saepius maligniore.*

## §. XLII.



## §. XLII.

Therapiam in malignitate tollenda vnice quidem in excernendi miasmatis emotione halituoso-peripherica consistere, satis cognitum; sed ardua, intuitu colluuei verminosae, quaestio est, *an in complicatione cum malignis liceat ac deceat vermes expellere?* Expulsionem videntur suadere sequentia momenta: primum, quod materia maligna continuo nouum ex colluue verminosa accipiat incrementum; deinde quod antipraxia motuum iam sit introducta et denique, quod in malignis, secretionibus carentibus, earum turbatio non sit timenda. Verum enim vero longe grauiores considerationes eam expulsionem heroicam dissuadent: nam anthelmintica calida materiam putridam, fermenti instar, augent, et quidem in ipsa sanguinis massa, vbi periculosior est. Quae autem in primis viis haeret, et per vasa lactea cum sanguine communicari posse timeatur, medicamentis diluentibus et inuoluentibus in canali isto ampliore facilius corrigi et pilulis balsamicis, bene praeparatis, blande ac secure educi potest.

## §. XLIII.

Accedo tandem ad febres *continuas benignas*, de quibus adfirmaui, quod per verminationem noxia symptomata introduci et illae ipsae in malignas mutari possint. Posterius quilibet concedet, qui ea, quae §. XL. dixi, perpendit, in primis, quia calor febrilis continuus ad putrefactionem vermium mortuorum augendam admodum efficax est. Prioris asserti veritas ex eo illucescit, quod motus excretorii, qui ad peripheriam in febribus illis simplicibus salutariter diriguntur, in statu complicato ad primas vias eum in finem reuocantur vt  
vis



vis vermium arrodens per adfusionem humorum infringatur. Quae recessio non potest non varias motuum anomalias producere: videlicet spasmos circa ventriculum, tormina intestinorum, adficciones lipothymicas, conuulsiones, et denique excretiones minus proficuas, diarrhaeas impetuosas vomitusque effrenes. Hac ratione periphericimotus salutare sufflaminantur et status benignus in malignum conuertitur.

## §. XLIV.

Quod ad curationem harum febrium attinet, *pax syncretistica* cum hostibus istis ad opportunum vsque tempus ineunda est. Videlicet vermes emulsionibus aliisque dulcibus decoctis, quae feбри quoque succurrunt, tam diu saginandi et dimulcendi sunt, donec febris ipsa, methodo ordinaria et medicamentis congruentibus curata fuerit; ac tum quidem curatio anthelmintica subiungi debet.





VIRO IUVENI  
GENEROSO ET PRAECLARE DOCTO  
IOANNI GOTTFR. AB EXTER  
CANDIDATO MEDICINAE DIGNISSIMO  
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM  
P R A E S E S.

**A**uspicatum, CANDIDATE doctissime, colophonem vitae academicæ imponis per elaborationem thematis, cuius quidem apud auctores non adeo frequens mentio legitur, attentio tamen illius in re practica eximiam habet utilitatem, ideoque multis respectibus commendari meretur. Quotiescumque enim in morbo quodam anomalias motuum inignes observamus: toties omnino, præter alias causas, in vermes quoque suspicionem conferre congruum est. Quid vero sub-  
sit rationis ac fundamenti huius suspicionis dissertatione TVA explicando satis demonstrasti: consentient TIBI vno ore Medici, qui in morbis curandis multum versantur, et veritatem a fallacibus experimentis discreto iudicio vindicare possunt. Sed quid, CANDIDATE honoratissime, de rebus TVIS amplius dicere conueniet? Secundus nunc circumuoluitur annus, ex quo FRIDERICIANAE nostrae ciuis fuisti, et gratius mihi accidit, ut museum TIBI in aedibus meis eligendo commune studium in re medica propius nos coniungeret: quæ consuetudo quotidiana non solum ansam dedit, in rebus ad artem nostram pertinentibus sermones quotidie conferre, verum etiam commoda mihi occasio fuit, ut perpetuam TVAM honestatem, modestiam et indefessam sedulitatem laetus obseruare potuerim. Itaque non possum, quin magnopere gratuler illum diem, quo laurea doctoralis iure merito TIBI imponitur. Ad futura quod attinet, de meo in TE animo nunquam debes dubitare: quare in testando illo pluribus verbis non utar, potius ad sincera vota pergo, Deumque precor, velit TIBI porro fauere, ut quas ingenii dotes disciplinis optimis excoluisti, eas nunc boni publici plurimo emolumento proferas, diffractoque cortice nucleum degustare et generosi Domini PARENTIS totiusque splendidæ FAMILIÆ decus atque solatium esse possis. Vale d. d. XXV. Aprilis MDCCLVII.

F

GENE-



GENEROSO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. IO. PET. EBERHARD

MEDIC. PROF. PVBL. ORDIN.

**Q**uam amici omnes TIBI gratulantur lauream doctorem, solemni ritu hodie capeſſendam, eam ſi ego quoque TIBI non gratularer, iniurius ſane forem in noſtram amicitiam. Iubet haec amicitia, iubent ipſa merita TVA, Vir doctiſſime! iubet diligentia quam demonſtraſti, et acquiſita in re medica doctri- na, iubet denique ſpes, quam de TE habent boni omnes, ut vota mea iungam fauſtis acclamationibus eorum, qui et doctri- nam TVAM perſpectam habent, et morum ſuaui- tatem non ignorant. Diligentiam ſane TVAM probaſti, tam in Ieneſi Academia, quam in noſtra Fridericiana. Ienae nempe ex ore b. HAMBERGERI, Illuſtris KALDSCHMIDII, experi- entiſſ. FVCHSII et clariſſimi atque ampliſſ. GYNNERI phyſices, me- dicinae et philoſophiae praecepta hauſiſti. In noſtra vero Academia Magnifici et Excellentiſſ. BOEHMERI, et celeberrimi IVNCKERI inſtitutionibus in anatomia et praxi medica diligenter interfuſti. Faciunt haec omnia, ut non modo ſperem, ſed certo etiam confi- dam, TE, Vir generoſe, tam in aegris ſanandis, quam in promouen- da medicinae ſcientia, olim futurum feliciffimum. Et habeo ſane, quod gratuler generoſo ac exper. PATRI TVO, filium tam erudi- tum. TIBI vero non modo gratulor honores iam capeſſendos, ſed et opto, ut quam hodie accepſiſti dignitatem, ea ad plura munera et hono- res maiores viam veluti aperiat. Vale. Dab. in Reg. Frid. d. 27. Apr. 1757.

GENE-



GENEROSO, PRAECLARE DOCTO, HONORVM  
MEDICORVM CANDIDATO VERE DIGNO

I. G. AB EXTER

S. D. P.

IOANNES IOACHIMVS LANGE

MATH. PROF. PVBL. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVR. ET REG.  
BORVSS. SCIENT. COLLEGA.

**Q**uotiescunque inter eos, qui in alma Fridericiana nostra ad studia incumbunt, talem intueor, qui erecto animo et alacri pollet ingenio, qui ad saniora vitae morumque praecepta educatus optimis parentum atque doctorum exemplis, mandatis, consiliis morem gessit, qui non nisi litteris, quas humaniores dicimus, probe instructus ad academiam deproperavit, curriculum autem academicum consueto triennio includi non passus plures annos in emporiis his litterariis optime collocat: toties impense gaudeo et publico gratulor de ciue eius utilitati quondam quam maxime profuturo, eique omnem operam meam atque studium, quantum in me est, sine ulla exceptione dicare soleo. Intelliget facile quilibet bonus inter nostros, cui innotuisti, innotuisti autem quam plurimis, haec omnia in TE, Candidate dignissime, optime quadrare, quem praeter ea etiam humanitas insignis morumque suauitas atque elegantia reddidit commendatissimum. Ex quo ad nostram ex Ienensi academia accessisti in illis scientiarum generibus, quae ad TVVM scopum aliquid conferre videbantur, mea vsus institutione operam Historiae naturali, Physicae atque Chemiae nauasti indefessam, pari industria ea etiam aliis doctoribus praeuentibus tractasti, quae medicum solide doctum et feliciter sanantem ornare atque iuuare possunt. Gratulor TIBI ex animo de studiis academicis feliciter ad colophonem perductis, diuinum praesidium TIBI semper exoptans praesentissimum, de quo eo certiores futuri sumus, quo maiori cura in omni vita TVA exprimere studueris insigne illud pietatis exemplum in splendidissima Familia TVA publice exstans, cuius, mihi in prima iuuentute propoliti, non sine fructu saepius recorder. Vale, res TVAS feliciter age, mihi que fauere nunquam intermitte. Dabam in Regia Fridericiana XXVI. Aprilis, MDCCCLVII. CON-



CONGRATULATION  
à MONSIEUR d' EXTER,

sur son avènement à la Dignité Doctorale.

MONSIEUR

C'est aujourd'hui un jour de joie pour VOUS et pour tous VOS vrais Amis, et VOUS voulez bien que j'en participe. VOUS recevez la Couronne de la main d' Esculape, et ce qu' il y a de plus intéressant, c'est que VOUS la recevez à juste titre; car sans cela, (VOUS connoissez ma manière de penser,) sans cela je ne VOUS en féliciterois pas. Jouissez donc longtems, MONSIEUR, des privilèges que cet honneur VOUS procure, et faites-en usage pour la consolation et le soulagement de ceux qui sont dans la souffrance. Les Lumières que VOUS avez acquises dans toutes les Sciences qui ont du rapport avec VOTRE profession, VOTRE habileté dans la Médecine et VOS manières insinuantes, me sont des garants sûrs des heureux succès de VOS soins et des fruits abondans que VOUS en allez recueillir. Agréez, MONSIEUR, encore une fois, que j'y prenne la juste part que j'y dois prendre, avec la déclaration solennelle que je fais d'être toujours autant par inclination que par devoir

MONSIEUR

à Halle, ce 27  
Avril 1757.

*Votre très humble et très obéissant  
Serviteur,*

CHOFFIN  
LECTEUR PUBLIC.





Halle, Med. Diss. 1744-59  
VD 18

ULB Halle

002 830 671




3

TA90C

Rebo





Hall  
174





17

DEI OPTIMI MAXIMI AVSPICHS  
AMPLISSIMI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM  
DE

# RESPECTV AD VERMES IN MORBIS CHRONICIS ET ACVTIS HABENDO

MODERATORE  
VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO  
DEXTERRIMO ET CLARISSIMO

SPECTATISSIMO H. T. DECANO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMSIQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

D. XXVIII. APRILIS MDCCCLVII.


SOLEMNI ERVDITORVM SVBHCIT EXAMINI

AVCTOR ET DEFENSOR

**IOANNES GOTTFRIEDVS AB EXTER**

BREMENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



Farbkarte #13

B.I.G.